

M B N

1 5 5 2

36574^c
7

ORATIO
DE DEFINITIONE IVS-
TICIAE, QVAE EXTAT
apud Clementem Alexandri-
num, Recitata à M. Lu-
ca Hetzer Decano.
Anno 1551.

ORATIO SCHOLAS-
TICA DE CONCORDIA,
Scripta & recitata in Acade-
mia Gryphiswaldensi in Po-
merania, à M. Sigismun-
do Schörckel Naum-
burgensi.

VVITEBERGAE.

M. D. L. I.

Mauritio Brande etc
Ioan: Langius



ORATIO

DE DEFINITIONIBUS

STUDII QUAE EXTAT

apud Clementem Alexandrum

in libro de ecclesia & M. L. C.

et Haezer Decano

Anno 1771

ORATIO SCHOLASTICA

IN CAUSA DE CONCORDIA

scripta & recitata in Academi-

ca Gymnasii in P. S.

mensis 2. M. S. S. S.

de Schöckel L. S.

burgum

VITTEBERGAE

M. D. C. C. L.

Handwritten signature

Handwritten text



ORATIO DE DEFINITIONE

Iusticiæ, quæ extat apud Cle-
mentem Alexandrinum.



INITIO gratias ago
Deo æterno, Patri do-
mini nostri Iesu Chri-
sti, Conditori cœli &
terræ, & omnium cre-
aturarum, una cum fi-
lio suo domino nostro

Iesu Christo, et Spiritu suo sancto, quod
Ecclesiam sibi inter nos colligit, et opti-
mæ doctrinæ studia conseruat, eumq;
toto pectore oro, ut propter Mediato-
rem dominum nostrum Iesum Christum
crucifixum pro nobis & resuscitatum,
ac certo regnantem in Ecclesia, nos de-
inceps quoq; clementer protegat & gu-
bernet, nec sinat extinguere lucem suæ
doctrinæ, sed faciat mansionem in no-
bis, ut inquit filius, Siquis diligit me,
sermonem meum seruabit, & Pater me-
us diliget eum, & ueniemus ad eum, &

Añ mansio

mansionem apud eum faciemus. Hæc
me cum ueris et ardentibus votis petite.
Cum autem sapienter institutum sit, ut
in his congressibus cōmonefactio pro-
ponatur, utilis aut ad iudicia formanda,
aut ad excitandos animos ad uirtutem,
delegi Argumentum, cuius explicatio
& erudire iuniores potest, & monet, ut
recta discamus, et prudenter caueamus,
ne Sophismatum præstigijs à ueritate
abducamur.

Scriptor fuit post Imperatorem M.
Antoninū celebris in Ecclesia Alexan-
drina, Clemens, qui in Refutatione he-
reticorum intexit interdum historica
digna cognitione. Hic narrat quosdam
definitionem Iusticiæ hanc tradidisse,
Iusticia est societas Dei, cum æqualitate.
Nec uero de priorē parte definitio-
nis multa differit, sed recitat hereticos
posteriorem particulam scelerate inter-
pretatos esse, de tali æqualitate, in qua
singuli alienis facultatibus & uxoribus
uterentur.

uterentur. Et narrat fuisse alicubi tales
fanaticos cœtus omnib. sceleribus pol-
lutos, qui tamen specie Religionis se
populo uenditarint.

Miratus sum tam cito post Apосто-
los inter eos, qui in Ecclesia instituti fu-
erant, cum disciplina plus grauitatis ad-
huc haberet, quam in hac delira senectâ
mundi, tamen furores tantos extitisse,
Sed ardent diaboli immani odio filij
Dei. Quare omnibus temporibus ge-
runt cum Ecclesia bellum prorsus ἀνω-
δον, ut uetustas loquebatur, et horribiles
dilacerationes efficiunt, sicut statim in
initio dictum est. Ponam inimicitias
inter Serpentem, & inter Semen mulie-
ris. Cum igitur talia exempla legimus,
excitentur animi non solum, ut sollici-
tudo & cura in discendo sit maior, sed
etiam ut ueris, & adfidiuis gemitibus pe-
tamus, ut filius Dei, qui conculcauit ca-
put Serpentis, depellat à nobis diabo-
los, & Spiritu sancto regat mentes &
pectora nostra.

A iij Vbi

Vbi animi sunt temulenti & securi,
nec pericula sua intelligunt, multo facilius
ab hostibus opprimuntur. Ideo &
nosse vos hac exempla utile est, & non
ociosis mentibus audienda sunt, sed ex-
pauescamus cogitatione nostrorum pe-
riculorum, Sciamus assidue seuissimū
& astutissimum hostem nobis insidiari,
& ut scriptum est, circumire uelut Leo-
nem rugientem, ut querat quem deuor-
ret. Aduersus hanc belluam et doctrina
& inuocatione filij Dei nos muniamus.

Te fili Dei Domine Iesu Christe
crucifixe pro nobis, & resuscitate, qui
dixisti, Venite ad me omnes qui labor-
atis & onerati estis, Ego reficiam vos,
toto pectore oro, ut tua luce nos guber-
nes, semper Ecclesiam tibi inter nos
colligas, & nos custodias, ne fanaticis
furoribus animi nostri fascinentur. Fac
ut te uera inuocatione, & uera doctrina
celebremus, & facias nos uasa miseria-
cordia. Opem fer infirmitati nostrae,
cum quidem introspecies pectora nos-
tra,

stra, & scias nos simplici studio ques-
uisse ueritatem.

Redeo autem ad Definitionem, de
qua dicere institui. Vndecunq; hæc De-
finitio sumpta est, etsi recens auditor
propter nouitatem & uenustatem eam
admiratur, tamen sapienter declaranda
est. Primum autem studiosi conside-
rent de Nomine et definitione iusticiæ,
& olim apud Philosophos, & in Eccle-
sia fuisse magnos disputationum laby-
rinthos. Nec recitabo aut Platonis ar-
gutias, aut colloquium Socratis & Hip-
piæ apud Xenophontem, ubi inuesti-
gatur definitio. Tantum cõsideremus,
quomodo Ecclesia locuta sit. Hæc
plerunq; cum nominat iusticiam, intel-
ligat congruentiam uniuersalem cum
Norma mentis et voluntatis Dei. Nam
quæ uera, recta iusta sunt, eo sunt talia,
quia ad illam Normam congruunt.
Qualis autem sit illa Norma expressit
Deus in Lege Morali. Itaq; si dextre
intelligatur, satis concinne dicitur, Ius-
ticia

A iij sticia

sticia uniuersalis est congruentia cum omnibus præceptis Moralibus, Eadem est enim congruentia cum mente diuina.

Etsi autem toti Legi hæc infirma natura nõ obtemperat, tamen hoc modo constituenda est definitio, quia postea sepißime inquit vox diuina. Neminem in hac infirmitate nature iustum esse, id est, Neminem congruere cum mente & voluntate Dei, etiam si quis habet umbras externorum gestuum nõ deformes.

Rursus tamen aliquos vox Euangelij iustos esse pronunciat, cum quidem fateatur manere in nobis uicia que nequaquam congruunt cum voluntate Dei seu cum Lege. Hic necesse est aliam vocabuli significationem esse. Hæc quomodo dijudicanda sint, norunt recte instituti in Ecclesia.

Nec uero ullo modo hæc pugnantia conciliari possent, nisi filius Dei ex
arcano

arcano consilio diuinitatis enarratio-
nem protulisset. Manet enim firma &
immota sententia in omni æternitate,
Iusticiam esse congruentiam cum men-
te & voluntate Dei, quæ qualis sit, Lex
ostendit.

Postquam autem hanc congruen-
tiam natura hominum amisit, Et filius
Dei deprecator fuit pro genere huma-
no, decretum factum est inenarrabili
sapientia, in quo cum misericordia co-
pulata est iusticia mirando tempera-
mento, ut Homo Christus Iesus pro
genere humano pœnam sustineret,
Atq; ita iusticiæ satisficeret, quæ aut o-
bedientiam aut pœnam flagitat. Sicut
ipse Redemptor inquit, Venit filius
hominis dare animam suam $\lambda\upsilon\tau\epsilon\sigma\omicron\upsilon\mu$ pro
multis. Et hanc ob causam inquit. Nō
ueni soluere Legem, sed implere eam.
Hæc ipsius obedientia, cum iusticiæ
Dei satisfaciat congruentia est cum vo-
luntate Dei. Ideo & Paulus inquit, fa-
ctus est sub Legem, ut eos qui erant
sub Lege redimeret, id est, pœnam pro

A v nobis

nobis soluit, qua nos redempti sumus.

Simul autem decreuit sapientia diuina, ut hic filius ab hominibus agnoscat, Et beneficia quæ filius adfert ijs tribui adfirmat, qui fide hunc filium Redemptorem agnoscunt, & in sensu iræ Dei ad hunc Mediatorem confugiunt, statuunt uere propter ipsum remitti peccata, se recipi, se placere Deo propter hunc Sacerdotem pro nobis deprecantem. Hac fide cum ex media morte eluctamur, simul in nobis æternus Pater & filius accendunt Spiritu suo sancto in cordibus nostris lucem & motus congruentes menti & voluntati diuinæ, quæ in lege describitur. Fitq; id, quod ait Dominus, Veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus.

Cum autem hæc initia sint languisda, & multa in nobis ad illam æternam normam nondum cōgruant, sancit decretum diuinum, filij iusticiam nobis imputari, propter filium Mediatorem & umbraculum, regi nostras sordes, & nos

nos Deo placere, propter ipsius inquam
merita, quæ ipse nominat *αὐτῶν*, &
propter ipsum deprecantem nos iustos
esse.

Hæc iusticia in promissionibus &
voce Euangelij patefacta est, sicut Esai-
as inquit, Liuore eius sanati sumus, Et
significata uictimis, quarum interpreta-
tio sepe repetita est, cum dicimur puri-
ficari sanguine Christi. Et tamen simul
in nobis inchoatur nouitas. Sed sepe in
Ecclesia lux Euangelij de fide, & illa
necessaria consolatione accipiente re-
missionem propter Mediatorem filium
obscurata est uel superstitionibus, uel
alijs opinionibus. Monachi finxerunt
sua exercitia iusticiam, & impletionem
legis esse, & mereri remissionem pec-
catorum.

Alij minus absurda docentes, dixe-
runt Iusticiam esse quidem obedientiam
congruentem cum norma diuina,
seu lege, Sed non esse tantum gestus
nostros, qui humanis uiribus regantur,
sed esse motus a Deo accensos in nobis.

In hac

In hac sententia resistit explicatio multorum, cum de iusticia Euangelij loquuntur. Interea de consolatione illa silentium est, in qua fides sustentat nos intuentes in merita filij Dei, & in eum, tanquam Propiciatorem, ut inquit Paulus. Quem posuit Propiciatorem per sanguinem, fide. Hanc consolationem non sinamus ullis præstigijs obscurari, Jam igitur de definitione illa quam Clemens recitat, dicam.

Fortassis aliquis reprehensurus opinionem quæ fingit nostros gestus esse iusticiam, dixit iusticia est societas Dei, ut significaret esse non nostros gestus, sed lucem & motus diuinos in nobis. Hoc etsi splendide dicitur, & uerum est oportere in nobis accendi lucem & motus diuinos. Sed tamen cum nihil dicat de filio Dei, Mediatore, de remissione peccatorum, de imputatione iusticiæ, non plus dicit, quam Plato, Cicero, Seneca, quorum hæc oratio est crebro repetita. Nulla excellens uirtus est
sine

sine Deo. Scipionis fortitudo, conti-
nencia, & cæteræ uirtutes, Motus diui-
ni sunt, sed in Ecclesia sciri oportet alia
esse beneficia filij Dei, Remissionem
peccatorum & imputationem iusticiæ,
Hæc cum fide accipiuntur, intuentem
Mediatorem, simul & pectora nostra
fiunt domicilium Dei & lucis diuinæ,
sed prius agnoscere filium oportet. Non
igitur satis est dicere, Iusticiam esse *νομι-
νον* *θεου*, Nec omittenda est mentio
meritorum filij Dei, & remissionis pec-
catorum, sed retinenda uox Euangelij,
quæ nos propter filium Propiciatorem
adfirmat iustos esse. Hæc de priore
membro definitionis dicta sint, Vbi co-
grent auditores, quæ tenebræ in Eccle-
sia olim quoq; secutæ sint, cum contia-
uit vox de illa iusticia in Euangelio pa-
tefacta, quæ est, propter filium Dei do-
nari remissione peccatorum, & impu-
tatione iusticiæ per fidem accensam à
Spiritu sancto. *ἡ πίστις ἡμῶν*
Hæc necessaria doctrina omissa Ene-
thusiastæ & similes iactabant suos ad
flatus,

status, theurgicas uirtutes, & similia
δαίματα ρήματων, quæ sciebant admira-
tionem ipsis parere apud populum.
Deinde multitudine freti moliebantur
noua Regna & nouas Ierosolymas, si-
cut fecerunt Pepusiani & recens Ana-
baptiste. Quare aduersus semina talium
furorum animi uera doctrina & inuo-
catiōe filij Dei studiose muniendi sunt,

Nunc uenio ad alterum membrum
definitionis, in quo dicitur iusticia esse
æqualitatis conseruatio. Hic uides con-
stitutam esse definitionem ex diuersis
opinionibus, uult iusticiam esse motus
diuinos in nobis. Postea ne negligeret
operum doctrinam, adiecit hanc particu-
lam, μετὰ ἰσότητος, Hic uoluit com-
plecti officia secundæ tabulæ Legis,
sed intelligi dictum de ordinata æqua-
litate necesse erit. Est autem Norma
æqualitatis Mens diuina in Lege ex-
pressa. Olim quoq; plausibile nomen
æqualitatis armabat homines tribunis-
cios, ut magnos tumultus in ciuitatibus
excitarent.

excitarent. Quare homines docti magna solertia quesierunt, qualis sit æqualitas iusticia. Sagacissime Plato & Aristoteles ut in Numeris uiderunt aliam esse Numerorum, aliam Proportionum æqualitatem, ita uiderunt in uita æqualitatem non semper eodem modo intelligi. Emptor dat æquale precium pro merce. Hæc est æqualitas & summa & prima. Distribuit pœnas Iudex. Aliter punit Latronem, qui ex insidijs uiatorem occidit, aliter temulentum hominem, qui uicino fregit ollam. Hic pœnæ respondeant delictis, corpus pro corpore pendatur, Pro damno pecunia. Vtriq; Iudex æqualia tribuit similitudine proportionum.

Scitis noticiam Numerorum atq; ordinis in natura primam esse, & in ea maxime conspici quid sit æqualitas. Itaq; ad perspicuitatem conducit exempla à Numeris sumere. Et dulcissimæ sunt hæc artium & uitæ collationes. Sed nos rudijs aliquanto hic definitionem, de qua

de qua loquimur enarremus. Iusticiam
ait esse conseruationem æqualitatis, uis
delicet ordinatæ, ac loquitur hoc mem-
brum definitionis de officijs necessarijs
in hac comuni hominũ societate, quam
æqualitate conseruari manifestum est.
Velint parentes eadem bona natis, quæ
sibi uolunt, depellant eadẽ mala, ut nus-
meri gignuntur, cum ad unitatem ad-
duntur deinceps plures unitates. Ita ad
uitam totius cœtus tuendam necessaria
est erga ceteros equalitas. Velis eadem
bona ciuibus, quæ tibi uis, depellas ea-
dem mala, sumis ab alio mercem, redde
tantundem. Nam si una pars tantum
rapiat, altera exhausta fame perit. Ex
his initijs potest intelligi, cur uetustas
toties dicat Iusticiam æqualitatem esse,
quod & hæc ipsa diuina oracula docent.
Diligas proximum sicut te ipsum. Et
Quod tibi non uis fieri, alteri ne facito.
Hic agnoscis æqualitatem sanciri, ut si-
cut te uis esse incolumem, & tuum cor-
pus, familiam, domum seruari, ita uelis
& alios esse incolumes, & eorum cor-
pora,

sup ab

pora, familias, & domos seruari. Ex hoc initio cetera iusticiæ officia oriri facile intelligi potest.

Sed quia falluntur interdum homines in conferendis æqualibus, ut Cyrus fallebatur, qui longiorem tunicam eremptam alteri, attribuebat proceriori corpori, addatur in definitione Iusticiæ esse conseruationem æqualitatis ordinatæ. Sit lex diuina, Norma æqualitatis. Hęc ostendit quæ res cõmunicari possint, quomodo in cõmunicatione efficienda sit æqualitas. Sumit emptor ab Agricola frumentum. Non postulet uicissim sibi dari ab emptore coniugem aut filiam, sed rem quæ communicari potest. Et fiat exequatio ordinata legibus. Ita sit iustum, ἰσὸν νόμιμον, non æqualitas cupiditate æstimata. Non nominetur æqualitas, Rapere alienas facultates, aut coniuges, ut fanatici homines furenter interpretati sunt. Vult Deus te æqualem esse alijs, quomodo
B seruan

seruandis alijs, & in eo ordine tuendo quem aeterna & immutabili sapientia sanxit. Vult intelligi iusticiam & alias uirtutes in genere humano, & honesta & turpia aeterno & immutabili intervallo seiuncta esse, praecipue hanc ob causam, ut ipsum Deum fontem sapientiae & uirtutum agnoscamus.

Quare in uirtutum descriptionibus, non ut Epicurei, tantum queramus, quae res huic materiae corporum suaves sint, sed etiam ordinem intueamur in Legibus propositum, quem sciamus testimonium esse de Deo. Haec copiosius declarari possent, Sed prudentes intelligunt, quare non addam plura exempla. Illud autem oro Deum fontem sapientiae & iusticiae, ut ipse propter filium, & per eum spargat in mentes nostras suam lucem, ut & ipsum & uirtutum pulchritudinem intelligamus, & inflammet pectora nostra, ut ipsi obediamus, & in omnibus rebus ordinem ab ipso sancitum tueri studeamus.

Et quia

Et quia dulce nomen est æqualita-
tis, discamus quomodo æqualitatem
conseruari Deus uelit, qua in re primū
illud uidete. Amat et filius Dei primam
æqualitatem quæ Arithmetica est. Ab-
iecit se in has nostras miseras, ut esset
æqualis nobis in morte & atrocissimis
cruciatibus, deriuauit in sese iram æter-
ni Patris aduersus tua & mea, & omnium
peccata, Ita nobis factus est æqualis,
Nos uero sibi facit æquales, Copulauit
sibi æterno foedere naturam humanam,
ut sit socia uictoriæ, qua caput Serpen-
tis conterit, & nobis iusticiam & uitam
reddit, deinde & nos adducit ad æter-
num Patrem, ut sit Deus omnia in om-
nibus, ac nos pleni luce diuina, leti
Deum in omni æternitate celebremus.

Hoc Exemplum æqualitatis sequa-
mur, Agnoscamus quod uerissimum
est nos uere fontes esse singulos, & sin-
gulorum delictis cumulari publicas mis-
erias. Quod cum uerissimum sit, dole-

B ij amus

amus omnes, & à filio Dei ueniam pe-
tamus, Nec efferamus nos, nec elati
Regna nobis queramus, & ambitione
moueamus Ecclesiam et Rempub. De-
inde bona communicemus amanter,
doctrinam, & omnia officia, quæ sunt
Nerui societatis, docti conferant iudicia
sine acerbitate, concordiam mode-
ratione animorum tueantur, Doctores
fideliter doceant, auditores studiose
discant, Nemo petulanter tur-
bet pacem publicam. In his
ipsis officijs discemus
quantum bonum
sit æqualitas,
& quæ
æqualitas Deo placeat.

DIXI.



DECANVS COLLEGII

Philosophici Magister Lucas

Hetzer Torgensis omni-

bus studiosis

S. D.

CVM peperit sancto tedi coniuuncta pudicis,
Zachariae pignus connubiale tori,
Cum sterilis prius, ac annis effoeta fuisset,
Facta dein magni uatis Elisa parens.
Nemo defendit pueri cunabula nati,
Orbaq; praesidijs cum patre mater erat.
Et uentura noui lacerabant uiscera regni
Impius Herodes, Pontificumq; cohors.
Vtq; fit, assidui sub tristia tempora belli,
Omnia plena metu, plena doloris erant.
Miles Idumaeis grassans audebat in agris
Omne, Magistratu non prohibente, scelus.
Saepe innocuas per fasq; nefasq; puellas,
Compulit amissa uirginitate mori.
Exiguus numero coetus, sine uiribus agmen,
Membra tamen uerae religionis erant
Quae, ueluti pullos tepidis Gallina sub alis,
Sic fouit gremio conditor ipse suo.
Hospitiumq; dedit, paruiq; mapalia tecti,
Ut canerent toto nomen in orbe Dei.

B 111

Hic fuit

Hic fuit ipsa Dei genitrix, quæ sæpe solebat,
Cum reliquis uera de pietate loqui.
Ex patria postquam Nasareæ sede relicta,
Venerat ad Solymi moenia sacra ducis.
Scilicet, ut grauidæ iam tum seruiret Elise,
Prestans officio munia digna suo.
Donec ab antiquis promissus uatibus olim,
Editus est magni nuncius ille Dei.
Quem genitum uirgo niueas excepit in ulnas,
Purpureis figens basia grata genis.
O quam sæpè puer, diuino numine rapta,
Ausa fuit de te talia uerba loqui?
Nascere parue puer, matrisq; patrisq; uoluptas,
Præcedens Dominum nuncius ante tuum.
Qui mihi uirginea nuper conceptus in aluo,
Saluabit populos natus in orbe suos.
Ergo uti defensum à turmis hostilibus agmen,
Tunc fuit auxilio conditor alme tuo.
Nec fuit in tantis pia gens delicta periculis,
Spargeret ut uerbi semina sacra tui.
Sic hodie clades inter, mundi; ruinas,
Quem furor in poenas coecus ubiq; trahit.
Ille puer quondam Mariæ gestatus in aluo,
Cum per Iordanis littora fecit iter.
Defendat nostros coetus, nostriq; misertus,
Concedat studijs oia grata pijs.

Sed

Sed tamen hoc etiam diuina uoce iubemur,
Officij ut faciat munera quisq; sui.
Cura bonas artes igitur sit discere nostra,
Quas uitæ normam tradidit esse Deus.
Nos quoq; doctrinam nunc explorabimus horum,
Censuram nostram qui subiisse uolent.
Non labor his noster, non officiosa uoluntas
Decrit, ubi dederint nomina more Scholæ.
Hæc modo sit bonitate tua Myrmecia tecta,
O Christe æterni gnate, & imago Patris.

Die congressus uirginis
Mariæ & Elisabeth.

Anno, 1551.

B iij

ILLVS.



ILLVSTRISSIMO PRIN-
cipi ac Domino D. Philippo, Steti-
nensium, Pomeraniæ, Cassubiorum
& VVandalorum Duci, Prin-
cipi Rugiæ, Comiti Gutz-
kouiensi, Domino
suo clementissi-
mo, S. D.



ILLVSTRISSIME,
& clementissime Prin-
ceps, Etsi hoc tempo-
re literarum studia nõ
solum à multis despi-
ciuntur, sed etiam in
odio sunt plurimorum
qui fatales calamitates orbis terrarum,
quas multiplicia totius humani generis
delicta quotidie magis magisque cumu-
lant, literis imputari volunt: tamen ali-
cubi Deus sapientes gubernatores ex-
citât, qui & intelligant harum artium
utilitatem, quas scholæ profitentur, &
eas aduersus iniqua iudicia imperitorũ
sua

sua authoritate tueantur. Ac præclare
de uniuersa hominum uita merentur,
quicunq; dant operam, ne intereant ar-
tes Reipub. & toti humano generi salu-
tares. Non est autem obscurum, Illu-
strissime Princeps, Cels. T. de literarū
studijs iudicium, Nam ea, & singulari
fauore Celsitudo Tua tuetur, & ad
posteritatem quoq; propagare studet,
cum ea necessaria esse intelligat, non
solum in Reipublice gubernatione,
sed etiam ad puritatem doctrinæ coele-
stis & sacrosancti Euangelij retinen-
dam. Quod nisi ita esse Celsi. T. iu-
dicasset, nunquam Gryphiswalden-
sem Academiam, collapsam, & prope
extinctam superiorib. annis suscepisset
instaurandam, quod quidem Celsi. T.
consilium, cum Reipub. tum Ecclesie
Dei, & posteritati quoq;, ut spero, est
profuturum. Cum igitur Celsi. T. do-
ctrinæ bonarum rerum magnopere fa-
uere intelligam, sitq; recepta uetus con-
suetudo, qua scripta cuiuscunq; generis

B v

summis

summis ordinibus dedicantur, ut hi qui
sedent ad gubernacula, quasi inspiciant
hominum studia: volui oratiunculam
de Concordia, quam ante biennium in
Academia Celsi. T. habui, sub auspicio
Celsi. T. in publicum emittere, ut extet
qualecumq; debitæ obseruantiaæ meæ
erga Celsi. T. uelut testimonium. Etsi
autem tenue scriptum est, nec respon-
det amplitudini propositi argumenti,
tamen cum res contineat non malas, &
quas nemini nocere posse confido, oro
ut id Celsi. T. pro singulari clementia,
meumq; in dedicando officium, boni
uelit consulere.

Narrant historiae, Artaxerxen Re-
gem Persarum, eximia mansuetudine
solutum accipere etiam exigua munera,
à subditis oblata, ita ut etiam aquam in
vobis oblatam, & ab alio quodam ma-
lum punicum, pulchritudine et magni-
tudine prestans, alacri animo & Rege
digna clementia acceptaret.

Huius

Huius laudati Regis facilitatem, ut
in hoc breuiftenuiq; scripto meo accipia-
endo Celsi. T. uelit imitari etiam atq;
etiam oro. Deumq; æternum Patrem
Domini nostri Iesu Christi precor, ut
Celsi. T. in agnitione & confessione
filij sui retinere, eiq; pacatam & tran-
quillam gubernationem clementer do-
nare uelit, Bene & foeliciter ualeat Cel.
T. Data ex Academia Gryphisuual-
densi, Anno à nato Christo 1550. die
13. Februarij, quo ante annos 1712.

Maccabæus uicto & interfecto
blasphemo Nicanore, sedem
piæ doctrinæ in urbe Hi-
erosolima recuperauit.

T. Cels.

addictiss.

M. Sigismundus
Schörckel Naum-
burgensis.

ORATIO SCHOLASTICA
de Concordia, Scripta & recitata in
Academia Gryphiswaldensi à M. Si-
gismundo Schörckel Naumbur-
genſi, profefſore Philoſophiæ
moralis in eadem Acade-
mia, die 10. Martij.
Anno, 1548.



VM mihi hoc tempo-
re dicendi necessita-
tem officij mei ratio &
ſcholę conſuetudo im-
poneret, clariffimi do-
ctiffimiq; uiri collegæ
omni officiorum ge-
nere colendi, exiſtimaui mearum par-
tium eſſe, ut quantum poſſem, meo
etiam exemplo, honeſtum & utilem
morem huius Academiae ſtuderem cõ-
ſeruare, quem comperimus diſcentium
ſtudijs profuiſſe. Sunt enim hæc decla-
mandi exercitia propter utilitatẽ ſtu-
diõſæ iuuentutis inſtituta, ut adoleſcentes
dicendi

dicendi præcepta ad usum transferre, et
cum præceptorū, tum cōdiscipulorum
exemplo atq; imitatione, de rebus utilib.
& honestis, mediocri ornatu & facun-
dia, quantum cuiusq; fert ætas & pro-
gressus dicere assuescant. Etsi igitur
meæ imbecillitatis optime mihi eram
consciis, nec ignorabam me dignam
uestris auribus orationem afferre non
posse, tamen non potui hanc dicendi
prouinciam recusare, quod obseruan-
tiam erga leges, ac publicam utilitatem,
cui omnes nostræ voluntates, omnia
studia, & conatus seruire debent, præ-
ponendam omnibus rebus esse iudica-
rem. Quare à vobis etiam atq; etiam
peto, ut meam qualemcunq; orationem,
pro insigni uestra humanitate, placide
& benigne audiatis. Ac fauere uos con-
uenit his scholasticis congressibus, in-
stitutis iuuandorum studiorum causa,
quorum conseruatio, cum nostro ordi-
ni præcipue sit cōmendata, æquum est
unumquemq; hos conatus nostros, &
boni

boni consulere, et si quid forte in eis de-
sideratur, in meliorem partem benigne
interpretari. Hic candor & in iudican-
do ἐπιείκεια, non solum digna est bona-
rum literarum cultorib. sed etiam utilis
erit Reipub. & adolescentes ad dicendi
studium excitabit, quorū utilitati, pro-
pter conseruanda recta studia, præci-
pue seruiendum est. Etsi autem his
tristissimis temporibus, in tantis impe-
riorum dissipationibus & ruinis, minus
iucunda est literarum tractatio, ac ma-
iores etiam calamitates, patriæq; dilace-
rationes impendere uidentur, quæ &
Religioni & omnibus honestis artibus
interitum minantur, tamen magno for-
tiq; animo uincendæ sunt hæ trepidati-
ones, neq; est, ut ab ignaris militibus
fieri solet, metu atq; inertia statio dese-
renda.

Quare fiducia diuinarum promissi-
onum animos erigamus, quocunq; .n.
ruent imperia, tamen Deus seruaturus
est Ecclesiam suam, & pia studia, eisq;
seu hic,

seu hic, seu quocunq; alio in loco, ho-
spitium aliquod præbebit. Non enim
irrita, nec fallax est diuina promissio,
qua Deus apud Prophetam se Ecclesi-
am senescentem, uelut in aluo gestatu-
rum pollicetur. Forti itaq; & infracto
animo nostrum munus & uelut statio-
nem suo quisq; loco tueamur, & bonas
litteras, docendo, discendoq; conserua-
re & propagare omni diligentia stude-
amus. Non enim pacis tantum orna-
menta sunt literarum studia, sed in ad-
uersis etiam rebus perfrugium & solatio-
um præbent. Quare nequaquam de-
serendæ aut frigidius tractandæ sunt,
metu impendentium calamitatum, sed
potius pijs precibus à Deo petamus, ut
ueram & salutarem pacem & cõcordi-
am politijs & Ecclesijs largiatur, nosq;
& pia studia in tantis imperiorum con-
fusionibus clementer tueatur & conser-
uet. Sed accedat ad precationem etiam
in nobis quantum fieri potest studium
concordiæ retinendæ, quæ in uniuersa
hominum

hominum uita, ita est necessaria, ut uix
quidquam magis esse possit. Cumq̄
eam præcipue optimus quisq̄ experat
& conseruet, tum uero ita me eius co-
gitatione fateor delectari, ut de ea po-
tissimum orationem hoc tempore vo-
luerim instituere.

Adfero itaq̄ Argumentum de Con-
cordia minime ambiguum aut obscu-
rum, utile tamen communi uitæ & di-
gnissimum assidua cogitatione. Ita .n.
statuo post summa illa & inenarrabilia
beneficia, quæ Deus misso filio suo Do-
mino nostro Iesu Christo, humano ge-
neri exhibuit, nihil præstantius aut uti-
lius, nihil melius, nihil dignius aut diui-
nius, unquam hominibus contigisse,
pace atq̄ concordia.

Et si autem hoc Argumentum latissis-
me patet, & copiosissimam dicendi ma-
teriam suppeditat, tamen ideo à me bre-
uius tractabitur, quod necq̄ magnitudi-
ni atq̄ ubertati eius satisfacere me posse
intelligo,

intelligo, neq̄ res est adeo ignota aut
obscura, ut longa probatione sit opus.
Quis enim est qui nesciat, concordia
præcipue omnes cœtus & coalescere &
contineri, & sine ea nullas res, neq̄
priuatas, neq̄ publicas posse conserua-
ri. Ero itaq̄ breuior, ne uidear uerbis
non necessarijs uti in re minime dubia.
Peto autem à vobis, ut ueniam mihi
detis, si magnitudini Argumenti susce-
pti mea nō respondebit oratio, meamq̄
leuitatem in dicendo, boni consulatis.

Etsi autem, ut dixi, minime est du-
bium aut obscurum, Concordia nihil
esse melius aut utilius, tamen non est
inutile, id sæpe & attente considerari,
& adolescentibus statim ab ine-
unte ætate inculcari. Admonet enim
nos ea cogitatio, ut & ipsi maiore cura
ac diligentia concordiam retinere stu-
deamus, & à Deo ardentibus votis pa-
cem expetamus. Ignoti, inquit poeta,
Nulla cupido, ita & bellum dulce est
C inexpertis

inexpertis, & concordiam nulli magis
amant, quam qui eius utilitatem & præ-
stantiam recte intelligunt. Est enim
citra omnem controuersiam in tota ho-
minum uita Concordia optima res &
præstantissima, amplissimum ac præ-
clarum Dei donum, omnium rerum
publicarum & priuatarum conserua-
trix, ac totius humanæ societatis primū
& præcipuum uinculum. Nam siue
Oeconomias siue Politias, seu scholas,
seu Ecclesias spectemus, inueniemus
eas præcipue conseruari Concordia,
neq; ulla re atrocius, quam intestinis
discordijs lacerari. Id omnium seculo-
rum experientia declarauit, unde natæ
sunt illæ omnium sapientum iudicijs
comprobatae voces, Concordia res
paruæ crescunt, discordia res maximæ
dilabuntur. Item, Auxilia humilia fir-
ma consensus facit, & multæ aliæ si-
miles. Sunt enim homines conditi
ad societatem, unde, natura duce, coe-
tus hominum coierunt & uarij cōgres-
sus sunt

Salustius

is
=&
m
o=
&
e=
m
r=
nū
re
s,
is
a,
is
o=
æ
is
es
æ
ra
lo
iti
za
sa
nc

sus sunt instituti. Impossibile est autem
ullum cœtum aut societatem esse dura-
bilem sine uera animorum coniunctio-
ne. Estq; ut Ciceronis uerbis utar,
prima societas in coniugio seu œcono-
mica consociatione, ex qua deinde &
Politici & Ecclesiastici cœtus propa-
gantur. Ostendit autem quotidiana ex-
perientia, non posse ullam œconomi-
am conseruari sine mutua animorum
beneuolentia. Quare & in œconomi-
cis præceptis de conseruanda concor-
dia, tam inter coniuges, quàm reliquos
domesticos diligentissime præcipitur.
Ex coniugio politici cœtus nascuntur,
estq; Oeconomia principium urbis &
quasi seminarium Reipub. In his au-
tem multo magis etiam, quam in do-
mestica consuetudine, opus est animo-
rum coniunctione, neq; ulla re affligun-
tur Respublicæ atrocius quam discor-
dijs & civilibus dissensionib. ut omnium
gentium & ætatum historia testantur.

Ante Augustum Casarem Roma

C ij num

num imperium uix unquam magis flo-
ruit, quàm post euersam Carthaginem.
Domita erat Romanis armis Hispania,
Carthaginem æmulam imperij solo æ-
quauerat Scipio Aphricanus posterior,
Antiochum Asiæ Regem uicerat Sci-
pio Asiaticus frater Aphricani superio-
ris. Subacta erat & Achaia, nec non to-
ta Africa, uicto Iugurtha, Italia tota in
municipia & socias ciuitates erat distri-
buita, eratq; robore & uiribus Romana
Respub. eo tempore potentissima. Sed
florentissimum imperium ciuiles discor-
dia paulo post ita afflixerunt bello so-
ciali, item bellis ciuilibus Marij & Syl-
lae, Cæsaris & Pompeij ac similibus, ut
nunquam ab externis hostibus tam gra-
ues clades acceperit. Nam cum discor-
dijs & crebris seditionibus Gracchorum,
Saturnini, aliorumq; ciuitas agitaretur,
tandem exorta est ingens dissensio in-
ter Senatum & equites Romanos, pe-
nes quos erant eo tempore iudicia pu-
blica.

Hæc

Hæc cum Senatus ad se transferre
conaretur, equites econtra ius suum de-
fenderent, tantum inde conflatum est
incendium, ut ruina totius Italiae & ca-
dibus aliquot magnorum exercituum
uix potuerit restringui, Nam Liuius
Drusus Tribunus plebis, qui causam
Senatus defendebat, omnibus Italis ius
ciuitatis Romanæ promiserat, ut uires
sibi acquireret, eorumq; auxilio susce-
ptam causam tueretur. Cumq; eo ex-
tincto, Senatus, promissa eius præstare
nec posset nec uellet, defecerunt à Ro-
manis pleriq; Italiae populi, Estq; inde
natum sociale bellum, quo Respub. Ro-
mana ingentes clades accepit, & uni-
uersa Italia ita horribiliter est dilacerata,
ut nec Hannibalis, nec Pyrrhi bello tam
crudeliter uastata esse dicatur. Cunctis
multis utrinq; cladibus acceptis et illatis
nullus belli finis futurus esse uideretur,
nisi alterutra pars funditus esset deleta,
euenit ut nocturno quodam prælio duo
fratres, quorum alter apud Romanos,

C iij alter

*Talex: Max:
lib: 5 cap:
.5:*

alter apud hostes erat, inter se cōcurrerent, et alter alterum interficeret, et cum orta luce, is qui superstes erat certis indicijs agnosceret à se fratrem interfectum, iniecit se in defuncti rogū, ibiq; sese iugulavit, ut cum fratre eodem igne cremaretur. Hoc tam miserabili et atroci spectaculo commoti duces, tandem, acceptis utrinq; tot cladibus, de pace facienda deliberarunt. Non fuerat autem aliunde tantū incendiū exortū, nisi ex intestinis discordijs ciuium, ac meo iudicio, hæc historia memorabili exemplo docet, quantum Reipub. noceant dissidia & contentiones ciuiles. Est enim Respub. similis humano corpori, in quo omnibus inter se consentientibus membris, singula mutuis auxilijs & officijs, corporis incolumitatem tuentur. Ita & Politix præcipue conseruantur mutua beneuolentia, societate, officijs & concordia, cum boni & sapientes gubernatores consilia conferunt, & cōmuni animo ac pari studio & fide Rempub.

Rempub. gubernant. Sed ut in fabulis
narrant, aliquando orta dissensione in-
ter membra, cum reliqui artus uentri
cibum negarent, interisse corpus, ita
& rebuspub. discordiæ semper, & sunt,
& fuerunt exitiales, nec magis sine con-
cordia Respub. quàm sine mutua societa-
te membrorum humanum corpus sal-
uum esse potest.

Quàm perniciosæ fuerunt urbi Ro-
mæ, ciuiles dissensionēs Marij & Syllæ?
Item Lepidi & Catuli, & postea inte-
stina bella Cæsaris, Pompeij, Antonij,
Bruti, Cassij & similibus, quibus Rom.
imperium uariè dilacerabatur, cum ut
unius corporis membra inter se bellige-
rarentur. Et in Germanico imperio an-
nis ab hinc 470. tempore Henrici
quarti & quinti, cum Romanus Ponti-
fex Gregorius septimus suis artibus ci-
uile bellum in Germania accendisset,
totis 40. annis atrociter & horribiliter
intestinalis caedibus, Germania est uastata,
C iij & sic

& sic debilitata, ut quidquid reliquum
fuit floris & uirtutis Germanicæ, id om-
ne eo bello interciderit, nec postea
Rom. imperium pristinas uires et amissum
robur potuit recuperare. Hæc ex-
empla satis declarant, sine concordia
politias saluas esse nō posse, neq̃ ullum
tam firmum esse imperium, aut tantis
munitum præsijs quin discordia &
intestinis dissensionibus labefactetur &
euertatur.

Sic & Græcia intestino bello, quod
Peloponesiacum historiæ uocant, mul-
tis annis est quassata & ad extremum
euerfa, sic, ut, amissa libertate, seruire
Macedoniæ Regibus cogeretur. Ex le-
uibus autem inijs tantum incendium
ortum est. Cum Athenienses & Lace-
dæmonij, imperandi cupiditate inter se
de imperio Græciæ certarent, cumq̃
hæ duæ essent omnium Græcarum ur-
bium potentissimæ, uniuersam reliquã
Græciam in partes traxerunt, multisq̃
hinc

hinc inde cladibus acceptis & illatis,
cum modo Athenienses modo Lacedæ-
monij fuissent superiores, tandem
uicesimosextimo anno eius belli, A-
thenę captę sunt à Lacedæmonijs, Du-
ce Lyfandro, & deiectis mœnibus, ac
dirutis propugnaculis redactę sunt in
seruitutem. Non magis autem debilita-
uerant Atheniensium uires aduersa cū
hostibus prælia, quàm intestinæ inter
ciues discordiæ, cum seditionibus mo-
tis, uariè modo ad Senatum modo ad
plebem transferretur imperium. Ante
ea tempora cum Athenienses & La-
cedæmonij coniunctis uiribus pro-
fligassent Persas, salutaris ea concordia,
& ipsis & uniuersę Græcię fuit. Sed
cum postea, uelut in rabiem acti, mu-
tuis sese perderent cladibus, quid aliud
fuit, quàm si in humano corpore dextra
& sinistra se mutuis uulneribus lacera-
rent & conficerentur. Quare hæ di-
scordiæ toti Græcię exitium attulerunt.
Nam paulo post captas Athenas, etiam

C v inter

inter uictores, Lacedæmonios & Thebanos, ut fit, noua bella orta sunt, in quibus magno prælio uictis Spartanis ad Leuctra, deinde etiam Thebani facti sunt insolentiores, ac rursus motis alijs bellis Phocenses tanquam sacrilegos delere conabantur, quibus cum auxilium ferrent Athenienses, qui aliquantulum recuperauerant amissas uires, ita est Græcia inter hæc certamina afflictæ & concussæ & omnibus uiribus exhaustæ, ut à Philippo Macedone, Alexandri Magni patre utraq; pars opprimeretur. ita seruitutem Græciæ accersuerunt intestina ciuitatum dissidia.

NON igitur sine causa detestantur discordias omnia sana & moderata ingenia, nec ad tuenda & stabilienda imperia quidquam aptius Concordia, aut magis necessarium cogitari potest. Atheniensium Rempub. quam capta urbe euersam à Lacedæmonijs esse paulo ante dixi, nulla alia ratione magis

magis instauravit Thrasybulus, quam
fancienda inter ciues concordia, quam
ἀμνηστία vocarunt, hoc est, obliuionem
iniuriarum, qua omnium discordiarum
memoria, sempiterna obliuione delere-
tur, & factum est ac iureiurando ciui-
um confirmatum decretum, quod ab
omnibus sapientibus merito prædica-
tur μη μνηστικαὶ, hoc est, ne quis pri-
stinarum iniuriarū offensionumq̄ me-
moriā retineret. Hæc moderatio, &
cōcordiæ fanciendæ studiū, salutem af-
lictae et euersæ urbi attulit. Sic & Rom.
Reip. salutaris fuit Scipionis modera-
tio, cū retinendę publicæ tranquillitatis
causa in voluntariū exiliū abiit, & ma-
luit cedere Tribunijs criminationibus
quanquam iniuria afficeretur, quā
pertinacius se defendendo ciuiles di-
scordias accendere. Vt enim Terenti-
anus ille senex, rus se cum uxore migra-
turum esse inquit, ne quem sua presen-
tia offendat, & ibi inquit, ego te, & tu
me feres, sic Scipio cum fratre cōcessit
in exi-

in exilium voluntarium, ne in patria auctor esset dissensionum & malorum certaminum, nec desunt eruditi, qui hanc ipsam Scipionis moderationem expressam eo loco à Terentio putent.

O beatas Respub. in quibus tales sunt gubernatores, quibus omni gloria, potentia, omnibus fortunis, ipsa denique uita carior est publica salus & concordia. Huiusmodi enim uirorum consensus firmitus Reipub. est praesidium omnibus armis & munitionibus, & ut elegantissime & uerissime Graecus Poeta dicit.

ὅυ γενσοε ἀγλαοε
δουδ' ἀδ' αμαε ἀσεραπ' η προς ὄφαιε
ἔε ἀγαθῶν ἀνδρῶν ὁμοφραδ' μωρ νοκσιε.

Tales erant Romæ Cn. & P. Scipio fratres, qui in Hispania secundo bello punico magnas res summa animorum coniunctione, omniumque consiliorum societate gesserunt. Et postea Scipionum & Læliorum, item Africani & fratris eius

eius Scipionis Asiatici consensus &
summa in gerendis rebus unanimitas,
utilis fuit uniuersæ Romanæ Reipub.

Apud Iudæos quoq̃, Iudæ Mac-
cabæi & fratrum eius concordia, cum
singulari beneuolentia animorum co-
pulati, fortiter patriam defenderent,
non modo Reipub. sed Ecclesiæ quoq̃
fuit salutaris, Experientia enim testatur,
nihil esse pulchrius, quã ut Psalmus ait,
fratres habitare in unum, hoc est, esse
consentientes, & his Deum fauere &
benedicere, eosq̃ ornare fortuna & suc-
cessibus, sicut multis præclaris uictorijs
ornauit Maccabæum & eius fratres.
Sed deinde cum posteri eorū Hircanus
& Aristobulus pronepotes Simonis,
fratris Maccabæi, perinde ut Ethnici,
ciuilib. bellis de regno cõtenderent, nō
tantū religionem & omnem honestam
disciplinam euerterunt, sed regnum etiã
am & libertatem patrię amiserunt. Nam
hac occasione adductus Pompeius, oc-
cupauit

cupauit Hierosolymanam, ubi ingressus
in Sancta sanctorum etiam Templum
polluit, & totam Iudæam Romano im-
perio subiecit. Sic omnes Politias inre-
stinis discordijs euersas, Concordia au-
tem ut, uiriũ coniunctione, conseruatas
atq; auctas esse inuenimus. Illustri pi-
ctura, hoc Rex ille Scythicus, quicumq;
fuit, suis filijs proposuit, cũ iuberet eos
aliquot iacula in unum fascẽ colligata,
simul frangere. Erant autem ex filijs
plurimũ robusti iuuenes, cumq; ea con-
fringere non possent, Pater dissoluto
fascẽ, singula iacula singulis dedit, quæ
cum facile comminuisent, sic, inquit
Pater, o filij, si consentientes eritis, nul-
la uos externa uis facile euertet, sin di-
scordes, sine negotio uos hostes uin-
cent dissipatos. Verum est enim quod
dici solet Auxilia humilia, firma con-
sensus facit.

Liuius narrat Eumenem & Atta-
lum fratres, Reges Pergami à tam par-
uis initijs, ut eos prope puderet Regij
nominis,

nominis, eo perduxisse Regnum infra
terna unanimitate, ut postremo maxi-
mis & potentissimis eius temporis Re-
gibus pares haberentur. Incredibile .n.
est dictu, quantoper in administranda
Repub. prosit animorū sententiarumq̄
coniunctio, nec ullum Regnum facile
euertitur, in quo talis gubernatorum est
consensus, Id in fabulis elegantissima
similitudine pingitur. Narrant enim a-
liquando fuisse quatuor tauros, qui in
eisdem pascuis arctissima societate con-
iuncti uersabantur, Hos conspicius
Leo, etsi fame prope in rabiem agere-
tur, non tamen aggredi coniunctos po-
terat aut audebat. Sed postea ministe-
rio uulpeculæ tauros illos dissociat, ita
ut ortis simultatibus abinuicem disce-
derent, Ita separatos Leo singulos ag-
greditur & dilaniat. Non enim sat uiri-
um habebant singuli, ut Leoni resiste-
rent. Sic & Respub. dissociatis & di-
stractis Principum voluntatibus, ne-
cesse est ruere & dissipari. In omni .n.
guberna-

gubernatione, multorum auxilio & societate opus est, Nam unius manus praelium infirmum est, ut Euripides inquit. Nisi igitur beneuolentia & animorum coniunctione inter se copulati sint, qui sedent ad gubernacula, necesse est Rempub. funditus eueri, non aliter atq; currum eueri necesse est cum dissidentibus equis, alius huc alius illuc rapit currum, quod *ζυγομαχῆν* Græci dicunt. Alexander magnus singulari quadam foelicitate totum pene orbem subegerat & pulcherrimam, & florentissimam monarchiam constituerat. At eo defuncto, successores eius, ortis inter ipsos dissensionibus, uelut in rablem acti, horrendis & diuturnis certaminibus, & quasi mutuis uulneribus sese inuicem trucidarunt, non aliter atq; gladiatores, aut lanistæ quondam mutuis ictibus conficere sese solebant, aut ut armati illi, ex serpentinis dentibus nati, de quibus in fabulis est, intestinis cædibus se inuicem perdiderunt. Ita qui inter se

ter se concordēs dūce Alexandro orbis
imperium occupauerant iſdem poſtea
discordēs, maximam & florentiſſimam
orbis partem aſſiduis & diuturnis bellis
horribiliter uāſtauerunt .

Cum igitur discordiæ tantas pari-
ant imperiorum confuſiones, diſſipa-
tiones, vaſtitates & ruinas, cui dubium
eſſe poteſt politijs vnanimitate & con-
cordia nihil eſſe magis neceſſarium aut
ſalutare. Sed nimis diu me in hac parte
commoratum intelligo . Verum dies
nos prius deficiat quam recitari poſ-
ſint omnia exempla politiarum quas
discordiæ gubernatorum afflixerunt
& euerterunt . Multa itaq; tum vetera
tum recentia exempla prætereo, nihil
dico de Eteocle & Polynice, nihil de
Lacedæmonijs, nihil de Syracuſanis,
nihil de imperio Romano aut Germa-
nico, nihil de præſentibus temporibus,
ne in re non dubia videar uti testimo-
nijs non neceſſarijs . Neminem enim
D iam

nam esse puto qui non intelligat ad conseruandas tam œconomias quàm politias nihil esse concordia prius neq̃ melius.

At in Ecclesijs & scholis multo etiam magis opus est vnanimitate & consensu. Nam dissensionibus non minus horribiliter lacerantur Ecclesiæ, quam Respub. aut œconomia. Itaq̃ celebratur dictum Basilij. Non tam dextræ opus esse sinistra, quàm Ecclesijs opus est consensu docentium. Quam horrendæ vastitates Ecclesiarum, quantum odiorum, seditioꝝ, cædium, & blasphemiarum ortum est ex Arianis dogmatibus, quibus Arius Ecclesiæ concordiam & doctrinæ consensum turbauit. Ac multi existimant etiam Mahometi deliria et blasphemias ex illis dissensionibus natas esse, cum homines profani offensi illis religionum certaminibus a fide Christiana prorsus deficerent & sequerentur Mahometum cuius doctrina, cum aliquam legis particulam

ticulam retineret, tolleretur omnes dis-
putationes de arcana Dei voluntate &
natura, aliquanto magis prophanis iu-
dicijs blandiebatur. Ita & apud Iudæos
uarię sectę ortę sunt ex ambitione &
dissidijs docentium, Esæi, Pharisei &
Sadducæi, ac singulę sectę multiplici-
ter caliginem offundebant doctrinę
cœlesti, traditę per Moysen & prophe-
tas. Nam ex discordijs & ambiciosis
certaminibus in Ecclesia, omnia hæc
mala gignuntur, neglectio, & cor-
ruptio doctrinę, schismata, scandala,
hæreses, odia, bella, & postremo uasti-
tates Ecclesiarum. Quare nõ sine graui
causa sacrę literę tam diligenter ubiq;
precipiunt nobis studium concordię,
sicut Paulus aliquoties obsecrat pios ut
sint vnanimis, & S. Petrus hanc ipsam
concordiam uocat *φιλαδελφία*. Chri-
stus item præcipit de ea diligentissime
plurimis in locis. Et psalmus consen-
sum in Ecclesia comparat balsamo præ-
stantissimo & nobilissimo vnguento

D ij

(quod

(quod & a præstantia nomen habet)
cuius mirabilis & singularis erat uis in
sanandis uulnerib. & tanta odoris fu-
it fragrantia ut pauculæ guttæ totas
ædes odoris suauitate cōplerent. Tam
nobili liquori comparat consensum
docentium & gubernatorum in Eccle-
sijs & politijs. Quare cum in omni uis-
ta tum præcipuè in Ecclesia concordia-
am retinere & tueri studeamus.

Sed hoc loco atroci & grauissima
criminatione accusatur uera Ecclesia
Dei, quod dogmatibus suis turbet con-
cordiam & excitet dissidia in Ecclesi-
astica & politica gubernatione. Et p̄i
doctores qui doctrinam diuinitus tra-
ditam ac pias ceremonias a Deo insti-
tutas constanter defendunt, dicuntur
pertinaces, seditiosi & autores dissidi-
orum. Semper ab initio mundi hac cri-
minatione prægrauatur uera Ecclesia
Dei, qua homines modesti, non pos-
sunt non ualde perturbari. Sed ut E-
lias

lias propheta impio regi hoc ipsum ob-
ijcienti quod turbaret Israël grauitex
respondit: Non ego turbauit Israel,
sed tu & domus patris tui qui dereli-
quistis mandata domini & secuti estis
Baalim, Sic nunc quoq; grauitex &
uerè respondere possumus ad has ca-
lumnias aduersariorum, non a nobis,
sed ab illis turbari Ecclesiae concordiam,
qui relicto uerbo Dei & doctrina
in Prophetis & Apostolicis scriptis
tradita impiam doctrinam & impios
cultus pugnantes cum uerbo Dei con-
siderunt & mordicus defendunt, ac
veritatem Cainico & diabolico furore
& odio prosequuntur. Non igitur his
vociferationibus Papistarum terreri
nos sinamus, Sed consensum uerae &
Catholicae Ecclesiae Christi amplectamur,
eiusq; concordiam cum in doctrina
tum in gubernatione scholarum &
Ecclesiarum omni studio retineamus.
Haec uirtus, cum omnibus hominibus
est dignissima, tum praecipue his, qui-

D iij

Bus

bus commendata est gubernatio Ecclesiarum & scholarum. Nam in his nec debet esse status Democraticus, in quo se promiscue omnes ad gubernationem ingerant, nec oligarchicus seu tyrannicus, qualis est in pontificio regno, sed Aristocraticus, in quo docti, pii & prudentes non certantes odijs aut ambitione, sed communi animo ac pari studio & quasi fraterna vnanimitate Rempub. scholasticam &, ut ita dicam, Ecclesiasticam administrant. Huius autem consensus primum & præcipuum vinculum est concordia in doctrina & religione, nam dissensiones de religione semper excitarunt tumultus ut omnium ætatum exempla testantur. Alterum verò concordia vinculum quo præcipuæ bonæ mentes consociantur est mutua communicatio officiorum & studiorum, cum alij alios suo loco benigne & citra difficultatem iuuare student, Hæc enim animorum conjunctio in qua talis quædam liberalis officiorum

offitiorum communicatio instituitur
proprie est amicitia, quam recte ita lau-
dat Cicero, ut dicat esse diuinarum &
humanarum rerum coniunctionem &
nec ignem nec aquam magis esse ne-
cessariam quam talem amicitiam. Sint
igitur actiones & consilia nostra $\sigma\upsilon\mu\beta\iota\sigma\tau\iota\mu\alpha$,
 $\beta\iota\beta\alpha\sigma\tau\iota\mu\alpha$, destinata ad iuuandos alie-
os publice & priuatim ad confoci-
andos ac deuinciendos animos inter
se beneuolentia & humanitate. Sicut
eleganter hanc societatem in membris
nostri corporis videmus expressam,
quæ singula mutuis inter se officijs &
ministerijs copulata, inuicem sese iu-
uant & conseruant. Et Græci elegan-
tissime hanc operarum communicati-
onem pinxerunt in fabula de claudio
& Cæco, quorum cum neuter quo uo-
lebat progredi posset, quod & cæcus
carere ductore, & claudus suo impedi-
retur malo tandem consilium ineunt ut
cæcus claudum humeris gestaret &
claudus vicissim cæco monstraret vi-
am. Ita cōmunicatis inter se operis per-

D iij uenerunt

uenerunt unā eo quo destinauerant.
Sic & in uita cum omnes indigeamus
mutuis auxilijs, & consilijs, (semper
enim ut dicitur plus multi oculi uident,
quam unus oculus) incredibile est di-
ctu, quanta beneuolentia bonæ mentes
copulentur, liberali officiorum studio-
rumq; communicatione. Hæc animo-
rum studiorumq; coniunctio & ipsa
egregia uirtus est, & multas alias uirtu-
tes gignit, alit & conseruat, sine quibus
impossibile est ullum cœtum esse dura-
bilem, nec ulla concordia sine uirtute &
præcipuè iusticia conseruari potest, In-
iusticia enim omnes societates dissipat
& dissoluit, ut monet Aristotelis narra-
tio de octo latronibus, qui cum com-
muniter prædari essent soliti, tandem
propter inæqualem prædæ diuisionem
dissentire cœperunt, & quatuor uictis
& captis à socijs, etiam quatuor reliqui
inter se certarunt, Ibi rursus duobus ca-
ptis reliqui duo dissentire cœperunt,
& ita propter inæqualem diuisionem
prædæ

prædæ totus ille coetus est dissipatus,
Sic etiam in uita nulla societas sine uir-
tute et præsertim sine iusticia potest esse
diuturna. Et quia in hac imbecillitate
naturæ humanæ rara est excellens uir-
tus, & nemo est, cuius non aliqua sint
errata, adeo ut ne præstantissimi qui-
dem & summi uiri, ornati singularibus
uirtutibus, prorsus caruerint omnibus
uitiis, necesse est concordie conseruan-
dæ causa, ad multa aliorum errata con-
niuere, & multas iniurias publicæ tran-
quillitatis condonari. Non loquor au-
tem de manifestis flagitijs, sed erratis
ortis ex infirmitate, in his qui student
rectè facere, quibus nemo in hac uita
caret. Ut igitur in membrorum socie-
tate interdum pes pedem, manus ma-
num, aut oculum imprudenter lædit,
sic & in uita sæpe multæ incidunt offen-
sæ, multa errata, quæ aut comiter emen-
danda, aut patienter toleranda, & hu-
manæ infirmitati, publicæq; tranquillitatis
condonanda sunt.

D v Hoc

Hoc non solum doctrina Christiana docet, cum iubet remitti, ut remittatur nobis, sed etiam Homerus natura & experientia duce intellexit, aut, quod magis puto, a maioribus, quasi per manus traditum, inde a primis patribus usque, retinuit, cum fingit Aten excitare discordias inter homines, sequi uero Litas & dare operam, ut dissidentes reconcilient, easque magna beneficia impertiri his, qui positis simulatibus redeunt in gratiam, pertinacibus uero & tenacibus offensionum imprecari, ut Ate ab eis poenas exigat.

Est igitur praecipue condonatione offensionum tuenda concordia, tollenda etiam φιλονεικία, odia, suspensiones, nec certandum est ambitione, sed suis cuique locus tribuendus. Nam certamina orta ex ambitione, praecipue accendunt discordias, & perturbant tam Ecclesias quam Respub. His uero artibus, uirtute, iusticia, obedientia erga honestas

stas leges, moderatione, condonatione
offensionum, & communicatione
operarū, præcipue concordia & unanimitas
retinetur, cuius utilitatem si diligenter
& attente consideraremus, intelligeremus
profecto, nihil esse in uniuersa hominum
uita magis expetendū, Pace & Concordia,
nihil magis salutare, ut uerissime Poëta
cecinit:

Pax optima rerum.

Quas homini nouisse datum est, pax
(una triumphis

Innumeris potior.

Sed sine mutua beneuolentia & copulatione
animorum pax retineri facile nō potest,
vsitatum dictum est, & uulgo usurpatum,
senum similtates, iuuenilia consilia, &
priuari cōmodi studium, omnes respub.
euertunt. Nec uero ex his tribus aliud est
pernitiosius, odijs & dissidijs gubernatorum,
quorum inimicitia principio a paruis iniurijs
ortæ, deinde paulatim serpunt latius,
ac subinde plures inuoluunt, donec
nec ue

nec ut æstiuis effusus nubibus imber (ut
poëtæ verbis utar) Erumpunt, & in
apertum bellum, certissimum Reipub.
exitium, desinunt. Sic Romæ Pompei
ius, ardens odio Cæsaris, quantum &
quam perniciosum Reipublicæ certas
men de consulatu excitauit? ex quibus
discordijs ciuile bellum, & patriæ
calamitosum, & ipsi Pompeio exitiale,
natum est. Tempore Arcadij & Ho
norij imperatorum quam horribiles
factæ sunt vastationes & dissipationes
Romani imperij bellis Gotthorum,
Vandalorum & aliarum nationum?
Sed harum calamitatum præcipuæ cau
sæ fuerunt discordiæ & odia inter se
Romanorum ducum Stiliconis &
Ruffini. Nam Ruffinus homo liuidus
& ambitiosus, ut a Claudiano poë
ta describitur, flagrans odio Stilico
nis, & accensus spe potiundi impe
rij, Gotthos aduersus Arcadium impe
ratorem concitauit, quibus a Stilicone
partim victis, partim etiam magis irri
tatis,

tatis, secuta sunt horrenda bella, & urbs
Roma, quæ antea gentium domina
fuerat, exiguo temporis interuallo, ter
à Gothorum regibus capta, direpta
& incensa est, ac totius prope Roma-
ni imperij dissipatio & ruina est con-
secuta.

Verum nimis longum esset, enu-
merare omnes Respub. afflictas aut
euerfas discordijs gubernatorum. Sed
hæc exempla, quæ recitavi, satis ostendunt
Certissimum exitium politijs af-
ferre intestinas dissensiones, econtra
uerò, concordia & coniunctione gu-
bernatorum, omnes Respublicas et pri-
uatas, omnes scholas & Ecclesias, præ-
cipue defendi & stabiliri. Amemus
igitur concordiam, tanquam summū,
& vnicum pacis & salutis publicæ uin-
culum, & eam tanq̃ vnum ē summis
& præcipuis Dei donis veneremur, ac
singulari cura & diligentia tueri studea-
mus, quam & Deus postulat, & omnes
boni

boni viri optant, sine qua Respub. &
Ecclesiæ saluæ esse non possunt, cum
sit omnium rerum, publicarum & pri-
uatarum præcipua altrix & conserua-
trix, & cui, ut Psalmus testatur, Deus
fauet ac benedicit, Nam concordia &
consensu bonorum præcipue delecta-
tur, diabolus uero & eius filij, litibus,
dissensionibus, ac simulatibus gaudent
quas nemo bonus unquam neq; ama-
uit, neq; approbavit, & quæ cum alias
actiones utiles & necessarias, tum uero
in primis inuocationem Dei impedi-
unt. Nam mentes flagrantes odijs non
possunt Deum recte inuocare. Neq;
uero quidq; est miserius, homine auul-
so à Deo, uiuente sine Dei agnitione &
sine precatone. Quare uel hanc maxi-
me ob causam, dissidia, quantum fieri
potest, fugiamus. Deum autem æter-
num toto pectore precor, ut ue-
ram & salutarem concordia-
am, tam rebus publicis,
quam pijs scholis & Ec-
clesijs largiatur
DIXI.

Handwritten text in a cursive script, possibly a signature or a name, located at the top of the page.

Fragment of text from the adjacent page, including letters like 'n', 's', 't', 's', 'o', 'n', 'i'.



Hab Jomin griesam

e

Ch 320^a

ULB Halle 3
002 163 179




So. f

(So. 3. Band)

~~Donnerstag~~ ~~ist~~ ~~in~~ ~~der~~ ~~St.~~
Donnerstag ist in der St.







36574
7

ORATIO
DE DEFINITIONE IVS
STICIAE, QVAE EXTAT
apud Clementem Alexandri
num, Recitata à M. Lu
ca Hetzer Decano.
Anno 1551.

ORATIO SCHOLAS
TICA DE CONCORDIA,
Scripta & recitata in Acade
mia Gryphiswaldensi in Po
merania, à M. Sigismun
do Schörckel Naum
burgensi.

VVITEBERGAE.

M. D. L. I.

*Mauricio Branché et
Joan: Langius*

